

fama latissime pervagetur; & quum in tota Ecclesia comperiat, per præclara munera, quæ supra omnem laudem obis, illa, qua maxime fulges, summa auctoritatis amplitudo; quis hominum ignorat, in Te uno comprehendi, & mentem, quæ oblata assequatur, & cor, quod oblationem gratam habeat, & acceptam? Erunt profecto plurimi, qui, vel theologice doctrinæ laudem de industria affectant, vel amplissimæ dignitatis honorem cupide exoptant; at quam pauci, qui illam per labores assequuntur, hanc vero per merita; quod utranque studio, ac sudore consequi, aut negligunt, aut detrectant?

Attamen si Te homines contueantur, **AMPLISSIME PRINCEPS**, citra negocium invenient, & qui alteram per crebra experimenta merueris, & qui *postremam numeris omnibus æquaveris*. In illa enim Societate educatus, quæ proborum, ac doctorum hominum in Ecclesia Societas est, adeo fortiter in literarum palæstra cucurristi, ut omne pallium fueris jure merito assequutus. Testantur Hispaniarum celeberrimæ Academiae, in quibus theologiam facultatem per plurimos annos edocens, florentissimos habuisti Auditores, qui nomen tuum quoquo versus clarius omnibus, ornatiusque, reddiderunt. Testantur Romani Eminentissimorum Cardinalium Conventus, in quibus suffragia tua quisque uti oracula veneratur; & in illis ferendis Te sequendi gloriam fere omnes contendunt. Testatur Romanum Concilium, paucis abhinc annis coactum, in quo quotquot interfuerunt, facilitatem, qua abstrusiora exponebas, proprietatem, qua de cunctis loquebaris, subtilitatem, quam in cæteris exhibebas, omni ex parte admirabantur.

Testor denique & Ego, si hanc mihi præbeas facultatem, aliquando in tuum Musæum perhonorifice admissus, & de theologice rebus disserere jussus, harum